CCCLXVII.

Notariats-Instrument über die Eheberedung zwischen des Burggrafen Friedrich V. zu Nürnberg Sohn, Friedrich, und des Grafen Barnabas von Mailand Tochter Anglexia.

30. August 1377.

In nomine domini Amen. Anno Anatiuitate eiusdem Millesimotrecentesimoseptuagesimoseptimo, Indictione quintadecima secundum cursum et Morem Ciuitatis Mediolani, Die dominico trigesimo mensis augusti, Nobiles et Egregii Viri, domini Johannes de vestemberg, Johannes de elrbach offitialis in Burgavo, Milites, et Johannes de dytersheim Canonicus ecclesie onolspatensis, procuratores et procuratorio nomine Illustris et Magnifici principis ac domini, domini *Frederici nurembergensis Burggrauii*, Ad Infrascripta spetialiter et legittime constituti per Instrumentum publicum et solenne procuratorii eorumdem rogatum et traditum per Chunradum de romhilt clericum, herbipolensis diocesis, publicum auctoritate Imperiali notarium, anno Anatiuitate domini Millesimo trecentesimoseptuagesimoseptimo, Indictione quintadecima, die duodecimo augusti, per me notarium visum et lectum, Sponte et ex certa scientia et omni Modo, Jure, via, forma et causa, quibus melius potuerunt et possunt, et Maxime vigore dicti sui Mandati et proquo etiam Illustre principe domino Burggrauio predicti procuratores et quilibet eorum Insolidum solenniter promiserunt Infrascriptis procuratoribus Magnifici et excelsi domini, domini Barnabouis presentibus, pro prefato magnifico domino, domino Barnaboue et nomine Infrascripte Inclite nate sue stipulantibus et recipientibus, et michi notario, ut publice persone, stipulanti et recipienti nomine quosupra, quod prefatus dominus Burggrauius et Infrascriptus dominus Fredericus, eius natus, et quilibet eorum et sui heredes perpetuo habebunt et tenebunt firma, rata et grata, omnia et singula Infrascripta, Eaque apropababunt (sic!), confirmabunt et ratificabunt cum solempnitatibus opportunis, per publicum et solenne Instrumentum, prefato Magnifico domino, domino Barnaboui transmitendum: Solenniter destinauerunt et concesserunt ac concedunt et destinant Nobilibus et egregiis Militibus, dominis Arahono spinule et luchulo comiti palatino et Balzarrino de pusterla, Magistro curie, et Sapienti viro domino Faustino de lantanis legum doctori, vicario prefati domini Barnabouis, procuratoribus legittimis prefati Magnifici domini, domini Barnabouis vicecomitis, domini Mediolani etc., Imperialis vicarii

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

generalis, ibi presentibus et recipientibus nomine et vice prefati domini Barnabouis, et Infrascripte nate sue et cuiuslibet eorum ac michi notario Infrascripto, vt persone publice agenti et recipienti nomine et vice quosupra proxime, Illustrem Principem et Magnificum dominum, dominum *Fredericum Juniorem*, Inclitum natum legittimum prefati Illustris principis et Magnifici domini, domini Burggrauii, in futurum sponsum et Maritum legittimum Illustris domine, domine *Anglexie*, filie legittime prefati Magnifici domini, domini Barnabouis et Illustris et excelse domine, domine Regine de la schala, eius consortis, quam ex nomine predicti procuratores prefati domini Burggrauii, elegerunt pro futura sponsa et vxore legittima prefati Illustris principis domini Frederici Junioris, necnon etiam solenni stipulatione promiserunt dictis procuratoribus dicto procuratorio nomine, et per eos prefato Magnifico domino, domino Barnaboui et michi notario, ut publice persone agenti, stipulanti et recipienti nomine quosupra, quod suprascriptus Illustris dominus Burggrauius tradet et concedet seu destinabit suprascriptum filium suum in sponsum et Maritum legittimum prefate domine Anglexie, Inclite nate prefati Magnifici domini, domini Barnabouis, et quod idem Illustris dominus Burggrauius fatiet et curabit cum effectu, quod, pro parte dicti filii sui sponsalia et Matrimonium Inter eos legittime contrahentur, perfitientur et consumabuntur tempore congruo, et quod dictus eius filius ducet predictam filiam prefati magnifici et excelsi domini, domini Barnabouis, per eos electam utsupra in vxorem suam legittimam, tempore predicto, et solennitates nuptiarum contrahet et ipsum Matrimonium cum ea per carnalem copulam consumabit. Quodque idem Illustris dominus Burggrauius et dictus eius filius et quilibet eorum per se se et suos heredes solenniter promitent ac se se et heredes suos et sua bona presentia et futura solenniter obligabunt per solenne et publicum Instrumentum de restituendo eius future sponse et vxori, uel eius heredibus dottem, donaria et Jocalia, que sibi dabuntur, Et hoc in omnem casum et euentum dicte dottis et dictorum donariorum et Jocalium restituendorum, et quod constituent dicte future sponse et vxori in eorum et cuiusque eorum bonis donationem propter nuptias equalem et equiualentem dicte dotti, que sibi dabitur utsupra et in tot bonis et tanti valoris, de quibus percipi possint annui reditus valloris declarandi per Illustrem principem et Magnificum dominum, dominum leupoldum ducem Austrie, qui reditus percipiantur et percipi debeant per prefatam dominam et in eius vtilitatem conuerti possint etiam constante dicto Matrimonio, Et hec omnia cum pactis, tenoribus, sacramentis, solempnitatibus et clausulis necessariis et vtilibus ad premissa, et pro securitate et robore premissorum et in similibus contractibus apponi consuetis; Et quod de ipsis omnibus fiant solennia et publica Instrumenta. Et econuerso predicti

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

procuratores et procuratorio nomine prefati Magnifici et excelsi domini, domini Barnabouis, Ad hec solenniter et legittime constituti, per publicum et solenne Instrumentum procuratorii eorum rogatum et traditum per me Barninum de venzago, notarium publicum Ac prefati Magnifici domini, domini Barnabouis cancelarium, die vigesimonono mensis augusti presentis Sponte et excerta scientia, et omni modo, Jure, via forma et causa, quibus melius potuerunt et possunt, et Maxime vigore dicti sui Mandati, Solenniter concesserunt et concedunt, destinauerunt et destinant suprascriptis procuratoribus et procuratorio nomine suprascripti domini Burggrauii, et per ipsum dominum Burggrauium dicto domino Frederico eius filio ac michi notario Infrascripto, ut publice persone agenti et recipienti nomine et vice quosupra, proxime prefatam Illustrem dominam, dominam *Anglexiam,* Inclitam natam prefati magnifici et excelsi domini, domini Barnabouis electam utsupra in futuram sponsam et vxorem legittimam prefati Illustris principis, domini *Frederici Junioris,* filii suprascripti Illustris domini Burggrauii, ac etiam solenni stipulatione promiserunt dictis procuratoribus dicto nomine, et per eos dicto domino Burggrauio et Michi notario, ut publice persone stipulanti et recipienti nomine et vice quosupra proxime, quod prefatus Magnificus dominus, dominus Barnabos tradet et concedet in Ciuitate Mediolani prefatam Illustrem dominam, dominam Anglexiam electam utsupra in sponsam et vxorem legittimam suprascripto domino Frederico Juniori, filio prefati Illustris domini Burggrauii tempore congruo, et quod idem Magnificus dominus, dominus Barnabos tempore predicto fatiet et Curabit cum effectu, quod pro parte dicte filie sue predicta sponsalia et Matrimonium legittime contrahentur, et debitum sortientur effectum, et quod etiam idem Magnificus dominus, dominus Barnabos, pro dicta filia Sua Maritanda supradicto tempore, quo ducetur ad Maritum, dabit, soluet et numerabit, seu dari, solui et numerari fatiet predictis Illustribus domino Burggrauio et eius nato, seu alteri eorum uel legittime persone pro eis, uel altero eorum Interuenienti in Ciuitate Mediolani, dottem ipsius domine Anglexie vsque ad eam summam, quam Arbitrabitur et declarabit Illustris princeps et Magnificus dominus, dominus leupoldus dux austrie prefatus, Et hoc cum pactis, tenoribus, sacramentis, solennitatibus et clausulis, ad predicta firmanda vtilibus et necessariis et in similibus Instrumentis et contractibus dotalibus apponi consuetis, de quibus fiant publica et solennia Instrumenta, que dentur et tradantur in publicam formam prefato Magnifico domino, domino Barnaboui. Que omnia et singula suprascripta dicti procuratores dictis nominibus, et quilibet eorum solenni stipulatione sibi ad inuicem promiserunt, perpetuo firma, rata et grata habere et tenere, attendere et obseruare et non contrafacere, nec contravenire

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

per se, uel Alium, directe uel Indirecte, nec aliquo modo, uel Ingenio, seu quouis quesito collore de Jure nec de facto, sub obligatione personali prefatorum dominorum et cuiusque eorum et heredum suorum, ac ypotecha et obligatione omnium bonorum presentium et futurorum prefatorum dominorum, quorum procuratores sunt utsupra et cuiusque eorum; Et Insuper dicti procuratores dictis nominibus et quilibet eorum Jurauerunt ad sancta dei euangelia, Manibus corporaliter tactis scripturis, in animas prefatorum dominorum, videlicet dicti procuratores prefati domini Burggrauii in animam ipsius Illustris domini Burggrauii, et dicti procuratores prefati Magnifici domini, domini Barnabouis in animam ipsius Magnifici domini, domini Barnabouis, quod prelibati domini et quilibet eorum et eorum heredes perpetuo habebunt et tenebunt firma, rata et grata omnia et singula suprascripta, Eaque Attendent et Inuiolabiliter obseruabunt utsupra, de quibus omnibus et singulis suprascriptis suprascripti contrahentes dictis modis et nominibus rogauerunt me notarium Infrascriptum, vt de ipsis conficere debeam publica et Autentica Instrumenta, necnon Jusserunt, presens Instrumentum Sigilorum prefatorum dominorum, quorum procuratores sunt, videlicet suprascripti procuratores prefati Illustris principis et Magnifici domini, domini *Frederici senioris nurembergensis Burggrauii, sigili Maioris prefati domini Burggrauii, quod sigillum de voluntate prefati domini Burggrauii hac spetiali de causa secum detulerunt,* vt Asseruerunt et expresse protestati fuerunt, et suprascripti procuratores prefati Magnifici et excelsi domini, domini Barnabouis, sigili prefati domini Barnabouis, quo vtitur, appensione Muniri pro maiori firmitate et robore omnium premissorum. Actum in Ciuitate Mediolani, in ecclesia sancti Johanis ad concham Ante et prope altare Maius ecclesie prefate, presentibus Bartholo de casate, filio quondam beltrami porte cumane, parrochie sancti Johannis ad quatuor faties et Michaele de ghixulfis, filio quondam Jacobi dicti Minardi porte verceline, parochie sancte Marie pedonis, Ambobus Mediolani notariis et pro secundis notariis, Necnon Egregio et Spectabili viro, domino Eberhardo de luphen lantgrafio in Stulingen, Ambaxiatore Illustris principis et Magnifici domini, domini leupoldi dei gratia ducis austrie, et Antonio dicto domno forlano de veraxis de Montefalcone in foro Jullii, filio quondam alberti, milite habitante in Ciuitate Mediolani, Ambobus testibus notis, Ac Nobile et Egrēgio Milite domino Johanne gorab, Auditore bayliuio regni Cipri et Sapiente viro domino magistro Anthonio de pergamo fixicho, filio quondam domini Arasmi de gaforis de melzio; Ambaxiatoribus Serenissimi principis et domini, domini Petri dei gratia yrusalem et Cipri Regis; Egregiis et venerabilibus viris dominis henrico Echerlein, ordinis predicatorum in sacra teologia Magistro, vlrico pucher et Ottone zmerger, Ac Nobilibus et Strenuis Millitibus, dominis

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf

vincentio preposito sancti congilii (sic!) frisatensis, Ac Chunrado Meoringen, viris peritis ac dicte ecclesie canonicis, Ambaxiatoribus Illustris principis et Magnifici domini, domini Stephani dei gratia comitis palatini reni et bauarie ducis; Nobilibus et egregiis Militibus dominis Fredericho de gonzaga de Mantua, filio quondam domini ludouici, Adoardo de gonzaga, filio quondam domini feltrini, Anthonio de piis de carpo, filio quondam domini Gallassii, et Symone de lischa, filio quondam domini bandini, venerabili viro domino Galdino panisali, preposito ecclesie sancti georgii in pallatio Mediolani, Ac Sapientibus et Egregiis legum doctoribus, dominis Arahono de Auria de Janua Salinno de laqua de sancto gallo de pergamo, filio quondam domini petri, vicariis et Beltramolo de ferrariis, filio quondam domini Jacobi dicti comelli porte Cumane parochie sancti nazarii ad predam sanctam Mediolani, Aduocato prefati Magnifici et excelsi domini, domini Mediolani, omnibus testibus ydoneis ad premissa vocatis spetialiter et rogatis.

(L. M.) Ego Barnabos dictus Barninus de venzago, filius functi pagani, Ciuis Mediolanensis publicus que imperiali autoritate notarius ac prefati Magnifici et excelsi domini, domini Barnabouis vicecomitis etc. cancellarius, premissis omnibus et singulis, dum sic agerentur, presens fui, de ipsis que rogatus hoc presens publicum instrumentum tradidi, Aliis que occupatus negotiis infrascripto Ambrosio de carate, notario Mediolanensi, scribendum dedi, hic que mea propria mannu me subscripsi, Signum quoque meum consuetum apposui in robur et testimonium premissorum.

(L. M.) Ego suprascriptus Bartolus de casate, notarius, predictis omnibus pronotario Interfui meque subscripsi.

(L. M.) Ego predictus Michael de gisulfis, notarius, predictis omnibus pronotario interfui et me subscripsi.

(L. M.) Ego Ambrosius de carate, filius quondam Jacobi, publicus Imperiali auctoritate notarius Ciuitatis Mediolani, porte Cumane, parochie sancti Marcellini, hoc Instrumentum Mandato suprascripti Barnini notarii et Cancellarii prefati domini utsupra scripsi et Me subscripsi.

Original im Königl. Preussischen Geh. Hausarchive.

Anh. das bei Nr. CCCXCV. abgebildete *grosse* Burggräfliche Reitersiegel.

Universitäts- und
Landesbibliothek Düsseldorf